

DISPUTATIO
De
PLEVRITIDE.

Quam,
sub Præsidio

DN. FRIDERICI Spies Slesui-
censis Med. Doct.

Defendet
In publico auditorio

HEINRICVS ZIMMERMAN
Sondershus. Thuringus.

Die 11. Februarij.



HELMAESTADI,
Ex typographico IACOBI LVCI.

ANNO MD. LXX. C. IX.



ILLVSTRIBVS AC
GENEROSIS COMITIBVS
AC DOMINIS, DN. GVNTHERO,
DN. ANTONIO HENRICO, DN. IOHAN-
NI GVNTHERO ET DN. CHRISTIANO
GVNTHERO, fratribus Germanis, S. Rom. Imp. Qua-
drumviris, Comitibus in Schwartzburg & Hohnstein,
Dn. in Arnstadt, Sondershufa, Leutenburga, Lohra
& Klettenburg, Dn. suis Clementissimis,

*Hoc Medicum exercitium
debitæ gratitudinis ergò
humillimè*

offert ac consecrat

HEINRICVS ZIMMERMAN
Alumnus R.





DE PLEVRITIDE.

THESIS I.

Inter reliquos affectus, qui corpus humanum frequenter & immaniter excruciant, imò saepe inter necioni tradunt, postremum minimè locum sibi vindicat $\omega\lambda\epsilon\upsilon\rho\iota\tau\iota\varsigma$, nomine à loco affecto & affectu ipso deducto. Hanc pleriq: latinorum ad situm doloris respicientium lateralem morbum vel dolorem generaliter appellant. Alij speciem doloris in verâ pleuritide obuenientis considerantes, compunctionem lateris vt Plinius; alij telum, vt Serenus, nuncupant, eò quod Pleuriticos pungitius dolor infestet, non aliter ac si latus telo vel aliâ re acutâ perfodiatur ac pungatur. Germani *Brustgeschwier/Seitenstich* vocant.

2. Pleuritis nomen aliàs propriè pro dolore lateris punctorio ab inflammatione membranæ costas succingente, aliàs impropiè pro omni dolore laterum accipitur. Illa vera, hæc Spuria pleuritis dicitur, cuius variæ recensentur species causa & loco differentes. Spuria Pleuritis ratione causæ dicitur, quando dolor latus pungit sine febre, ob flatum vel frigidum humorem intra pleuram & costas vel musculos intercostales collectum, eam distendentem & à prædictis partibus diuellentem.

3. Pseudopleuritis ratione loci est, quando dolor lateris propter musculos intercostales externos aut thoraci incumbentes inflammatos euenit pulsatorius potius quàm punctorius, qui pressu digitorum & decubitu in latus dolens exacerbatur, febre & difficultate respirationis existente remissi-

ore, quàm in vera pleuritide, cum pulsu molli, rubore & tumore interdum oculis obuiò, quiq; si in abscessum degeneret foràs prorumpit & inciditur.

4. Spuria pleuritis ratione vtriusq; est quando dolor lateris oritur à flatu, vel humore frigido in musculos thoracis exteriores illapso, eosq; distendente, quam facillè à reliquis dignosces. Nos relictis speciebus pseudopleuritidis omnibus dictis de verà & propriè dicta pleuritide sermonem duntaxat instituemus, eius essentiam, causas, signa & curationem breuiter delineaturi. Hanc igitur cum Gal. 5. de l. aff. 3. 4. de caus. pul. 8. 2. de cris. 10. Paulo lib. 3. c. 33. Alexand. lib. 6. cap. 1. Aetio lib. 8. c. 68. & alijs plerisq; autoribus definimus, quod sit inflammatio membranæ costas succingentis, orta ab influxu sanguinis quam insequitur dolor laterum punctorius vel tensius, febris continua & vt plurimum acuta, tussis valida, respiratio parua & frequens pulsusq; celer, frequens, durus, seu ferrinus.

5. Per inflammationem intelligimus tam propriam ex sanguine sincero & copiâ solâ peccante, quam impropiam ex sanguine impuro & cum alijs humoribus permixto, genitam, pro cuius diuersitate vel biliosa vel sanguinea vel pituitosa vel Melancholica pleuritis dicitur.

6. Cuius autem partis inflammatio sit pleuritis vera non æquè inter omnes conuenit. Pleriq; enim autorum cum Galeno *ὑμένα ὑποζωότα* vel *πριζωότα*, membranam costas succingentem, quæ peculiariter græcis *πλεύρα* dicitur, in verâ pleuritide inflammari tradunt, quorum sententiæ & nos subscribimus, non modò nominis Ethymo, sed & proprijs huius affectus characteribus dolore sc. punctorio, pulsuq; ferrino commoti, quæ duo membranarum inflammationem arguunt.

7. Antonius Musa verò referente Hollerio, locum affectum

Etum veræ pleuritidis non pleuram sed mediastinum esse contendit, qui meritò à doctiss. Holler. in Comment. refutatur, cum mediastino inflammato dolor tantum ad os sternum non verò ad latera percipiatur, quod in verâ pleuritide requiritur.

8. Clariss. Platerus quoq; , Practicus nostri seculi celeberrimus & præceptor noster plurimùm colendus, cum impossibile esse duceret, spura pleuriticorum ex pleura inflammata prodire, propterea quod sanies, cruor vel pus ex ea inflammata in cauitatem thoracis resudans in pulmones deferri non possent sed in ea collecta Empyema necessariò gignerent, contra communem autorum sententiam Herophili opinionem amplexus est statuens in verâ pleuritide æquè ac in peripneumonia pulmones inflammari; in peripneumonia quidem secundum interiorem eorundem partem, in pleuritide verò secundum exteriorem & membranofam. Quam suam sententiam inde quoq; probat quòd dissecto cadauere quorundam pleuriticorum pulmones inflammatos deprehenderit.

9. Cuius viri Excellentiss. sententia, mlicet maximè speciosa videatur, omni ex parte approbare non possumus, propterea quod hypothefi falsa nitatur, impossibile sc. esse saniem cruorem aut pus ex pleura inflammata in pulmones deferri & per sputum excreari posse. Experientia enim testatur, venâ aliqua thoracis ruptâ, exesâ vel apertâ sanguinem tussiendo excreari: & in vulneribus thoracis, teste Galen. 5. de loc. aff. cap. 3. quæ pleuram ipsam per transeunt, si per syringam aquam mulsam in capacitatem thoracis, ad sordes eluendas & detergendas infundamus, illam à vulnerato per tussim reijci, eiusque saporem exactè inter expuendum percipi: imò in ipsis Empyicis pus intra pulmones & pleuram collectum, per sputum egeri, quod manifestò est inditio

materiam

materiam in cauitate thoracis contentam & ex pleura delapsam pulmones pertransire posse & per tussim expurgari, quod hypothesis doctiss. Plateri negabat.

10. Quod si igitur in prædictis casibus hoc verum est, non video quid prohibeat saniem & cruorem ex inflammata pleura in cauum thoracis resudantem in pulmones transire, & tussiendo foràs educi. Dum enim thorax expirando deprimatur ac multò magis dum in tussi vehementer constringitur materiam in cauitate thoracis contentam per tenuem pulmonum membranam, pelliculis caparum similimam, in oscula arteriarum asperarum, quæ cartilaginea & semper patentia in eam terminantur, reijcit & exprimit, quæ deinde in maiores asperæ arteriæ ramos propulsa tandem per laryngem educitur. Nec obstat hic densitas membranarum, quo minus materiam pulmones excipiant, cum experientia teste in fracturis ossium cruentus humor aliquando adeò copiosus per cutim longè crassiorem & fortiorem membrana, quæ costas aut pulmones ambit, effundatur, vt totas etiam fascias cruentet. Super hac re consulatur Gal. lib. 5. de l. aff. c. 3. Fernel. lib. 5. pathol. c. 11.

11. Neq; multum pro sua sententia corroboranda facit quod afferebat Clar. hic vir se pleuriticorum cadaueribus dissectis, pulmones inflammatos reperisse. Fieri enim potuit vt in ijs pleuritis cum peripneumonia coniuncta, vel illa in hanc terminata fuerit. Vtrum autem horum fiat lethale est plerumq; et si mors taliter affectis contingat, euenisse putatur ex pleuritide, cum tamen potius vi peripneumoniæ aut coniunctæ aut superuenientis sint extincti. Quod si verò dicat in prædictis cadaueribus pulmones solos inflammatos fuisse pleurâ nihil tale perpessâ, dicimus illos potius pro pleuriticis habitos esse, quàm quod re verâ tales fuerint.

12. Tenemus igitur adhuc cum Galeno & alijs in omni
verâ

verâ pleuritide membranam costas succingentem semper & necessariò inflammari siue id fiat primariò siue secundariò. Primariò quando pleura magis & primò inflammatur interdum muscoli mesopleurij similem affectum contrahunt & tunc pleuritis exquisita Gal. 5. de loc. aff. cap. 3. dicitur. Secundariò quando musculos prædictos primò inflammatio apprehendit, affectu per consensum & transudationem materiæ pleuræ communicato, & hæc minus exquisita pleuritis dicitur. Vix enim fieri potest propter mutuam contractum & connexum firmum, vt vna harum partium inflammata altera non coafficiatur.

13. Obseruandum autem hîc membranam, succingentem Gal. testimonio lib. de constit. artis c. 15. duplicem esse, internam & externam. Per externam Capiuac. Rondel. & Argenter. eam intelligunt membranulam quæ quamlibet costarum vndiquaq; cingit, & communi nomine periostrum vocitatur. Per internam verò pleuram propriè dictam quæ interiorem thoracis superficiem constituit & omnes costas succingit ab interna parte solùm, harum altera in pleuritide inflammatur, rarius externa frequentius interna, & quidem vel secundum vtrumq; latus, quod tamen rarò accidit, vel secundum vnum latus tantùm, eiusq; partes modò superiores modò inferiores, modò medias.

14. Causa proxima veræ pleuritidis vt ex dictis constat est sanguis in succingentem membranam & musculos mesopleurios interiores per ramos venæ axillaris in quatuor superiores costas distributos & venam azygon, quæ reliquis costis alendis dicata est, illapsus & impactus, qui cum copiosior sit quàm vt ab alteratrice partis regulari possit, nec liberam transpirationem habeat putredinem concipit, incalescit, tumoremq; calidum & inflammatorium excitat. Hic sanguis aliàs purus & mediocriter crassus sola peccans copia pleu-

pleuritin sanguineam gignit, aliàs impurus & cum alijs humoribus permistus, sæpius tamen biliosus biliosam; rarius pituitosus, pituitosam, rarissimè melancholicus Melancholicam pleuritin generat vt ex aph. 33. sect. 6. videre licet.

Prædicti humores dum in toto vel certa eius parte adhuc detinentur quieti, aut iam sunt in fluxu, nondum tamen influxerunt in pleuram, causæ antecedentis rationem habent & à varijs tam internis quàm externis causis producuntur, mouentur & ad pleuram ducuntur. Generantes causæ eorum nemini non patent ex generalibus. Impelluntur verò ad motum quandò nimia sua copia & vitiosa qualitate expultricem totius vel partis alicuius stimulant. Huc faciunt ira, exercitium corporis, aer vehementer calidus & siccus, qui sanguinem inflamat, fundit & mobiliorem reddit.

16. Frigus quoq; externum humores ad interiora exprimens sæpè huius mali autor est. Hinc teste Hipp. in aph. tempore autumnali & hyemali vt & in regionibus Septentrional. spirantibus ventis, potissimum Aquilone Austrum excipiente pleuritides frequentiores fiunt. Eadem de causa potus aquæ gelidæ, corpore ab exercitijs vel ira æstuante, copiosè ingestus, sanguinem ad superiora cogendo, sæpè hoc malum producit.

17. Inluit autem determinatè sanguis in pleuram vel propter attractionè vel propter receptionè. Attrahitur vel propter nimiū thoracis calorem, à nimia vociferatione & motu partium spiritalium, vel ex immodico & intempestiuo vsu fomentum calidorum pectori adhibitorum, excitatum, vel propter dolorem pleuræ ex tensione flatulentæ aut pituitosæ materiæ ipsi impactæ, vel ex ictu aut casu pectoris subortum. Recipit autem facilè sanguinem pleura propter imbecillitatem vel natiuam vel ex ætate, morbo prægresso aut frigore externo contractam. Hinc senes sæpius quàm iuuenes aut pueri hoc malo tentantur.

18. His

18. His hunc in modum constitutis, ad signa pleuritidis diagnostica, distinctiua & prognostica descendamus. Diagnostica quod attinet 5 sunt quæ veram pleuritidem demonstrant, punctorius nimirum lateris dolor, febris continua & ut plurimum acuta, respiratio parua & frequens, tussis valida & pulsus celer, frequens, & durus tensiusq; ad modum serræ tactū feriens, vnde ferrinus dicitur, omnia ex natura affectus & loci affecti, desumpta, & propterea à Galeno scientifica dicta. Circa quæ tamen ex Aretæo notandum, quod coniunctim, non sparsim! adesse debeant.

19. Inter hæc primum locum obtinet dolor tensus vel pungitiuus. Pleuritidi enim tanquam inflammationi intemperies calida & tensio cum necessariò adsint, dolor quoq; ab ea est inseparabilis, modo mens sit integra, quia verò hæc inflammatio inhæret membranæ ossibus annexæ, pleuræ sc. dolor punctorius percipitur, qui modò dextrum, modò sinistrum, modò vtrumq; latus, eiusq; vel superiores vel inferiores partes affligit, h. e. modò ad iugulum, modò ad hypochondria se extendit, prout inflammatio hoc vel illud latus diuersasq; eius partes occupat. Intenditur autem & remittitur hic dolor pro inflammationis magnitudine & specie. Magna enim inflammatione existente & eâ quidem Erysipelatosâ, magis infestat dolor punctorius quâ in reliquis phlegmones speciebus.

20. Febris quoq; necessariò pleuritini comitatur continua & acuta tùm ob situm loci affecti, tùm ob naturam affectus. Pleura enim cum vicina sit ipsi cordi, eâ inflammata fieri nõ potest, quin putridi vapores cor continuò ferientes febrim excitent continuam magis aut minus acutam pro diuersitate phlegmones pleuram infestantis. Vnde quoq; fit vt vel tertio vel quarto vel singulo quoq; die exacerbationes fiant potissimum circa nocte. Vt plurimum tamen acuta est febris & tertianos facit insultus, cum ex dictis constet pleuritini sepius à bilioso sanguine ortum ducere.

B

21. Pul.

21. Pulsus in pleuritide celer & frequens est propter febrilem calorem, tenuius verò & durus, qui quod ferræ instar ta-
ctū feriat ferrinus dicitur, propter tensionem membranæ suc-
cingentis arterijs communicatā, vnde quoq; minor redditur
pulsus quàm pro ratione febris conueniebat. Paruam verò re-
spirationē ducunt pleuritici propter inflammatorium pleu-
ræ affectū qui magnam thoracis extensionem sine insigni do-
lore non permittit, frequentē verò propter necessitatē auctā.
Quod enim in magnitudine deficit, frequentia recompensat.

22. Tussis quoq; inseparabilis est à pleuritide propterea
quod semper aliquid ex inflammata pleura transfudet, expul-
tricē irritans. Tussis hæc maxima ex parte cum sputis colora-
tis coniuncta est interdum verò sine illis potissimū in prin-
cipio, quod fit vel propter pleuræ nimiam densitatē, vel pro-
pter materiæ paucitatem & rebellem naturā, vel propter vi-
rium defectum. Sputum autem variat pro varietate humoris
contenti in pleura inflammata. Eo enim rubro existente san-
guis: bilioso verò & ad flauedinem vergente, biliosus: candi-
cante & spumescente, pituitosus: nigricante verò Melancho-
licus sanguis in causa esse censetur. Quod si cum sputi colore
febris magnitudinem exacerbationis typum, habitum cor-
poris, ætatem, regionem, anni tempus & prægressam dietam
perpenderit, pleuritidis speciem magis cognitam habebis.

23. Præter hæc pathognomonica & scientifica signa pleu-
ritidi interdum dolor capitis, delirium, sitis inexhausta, syn-
cope & huius generis alia symptomata superueniunt, prout
hæc vel illa pars in consensum abripitur.

24. An verò externa vel interna pleura inflammetur, ex
sputo & decubitu discernes. Externa enim si inflammetur,
febris remissior est, sputum nullum apparet, decubitus in par-
tem affectam magis dolorosus est, imprimis si afficiatur secū-
dum partem quæ costas exterius ambit, tumq; pressu digito-
rum

rum dolor exacerbatur. Pleura vero internā affecta decubitus in latus sanum dolorem exasperat propter tumoris suspensionem sputumq; apparet coloratum nisi quid impediatur. Ad distinctionem verò pleuritidis exquisitā à minus exquisitā animaduertendus est pulsus. Nam in eā pulsus magis, in hac verò minus tenditur & induratur.

25. A cognatis & similibus affectibus ita pleuritidē distingues. In peripneumoniā enim pulsus mollis, dolor grauius, ruborq; genarum insignis apparet, & reliqua symptomata grauiora sunt quàm in pleuritide. Ab inflammatione mediastini doloris situ potissimum separatur. Nam eo inflammato dolor in pectoris anteriori parte secundum longitudinē ossis sterni, cui annectitur, sentitur, non ad latera vt in pleuritide. Quomodo autē à diaphragmate inflammato pleuritidis distingatur omnium rectissime tradit doctiss. Petrus Salius. Epar quoq; inflammatum potissimum secundum partem gibberam valdē pleuritidem mentitur, quam tamen ab hac dolor grauius, tussis minor & semper licca, pulsus mollis, color faciei fœdus, tumor & tensio dextri hypochondrij & fluxus hepaticus, si tonus hepatis lædatur, in progressu mali, facile discernit.

26. Ad prognosin quod attinet sciendum pleuritidē inter morbos dubios, qui nec certam salutem nec certam mortem præmittunt ab Hipp. 1. de morbis referri, idq; merito cum plerumq; sit morbus acutus teste Galen. 2. aph. 19. cuius omninò certæ prædictiones non sunt. Vt ut tamē sit præstat toto morbi decursu ægrum leuiter ferre morbum, facile spirare, dolorem esse sedatū, sputum absq; magna molestia excreare, corpus æqualiter molle calidumq; apparere, vrinas, deiectiones, sudores naturales & laudabiles esse, quæ omnia si conspiciantur in ægro salutem pollicentur, si verò cōtrario modo se habeant omnia iam dicta, vel saltem vnicum malum signum appareat

pareat v. g. si ventrem & latera præ nimio calore exuti contingat, extrema verò frigeant res in angusto est posita.

27. Imprimis prognosis variat pro modo solutionis mali. Omnium creberrimè & saluberrimè pleuritis finitur resolutione, quod fit vel per digestionem & resolutionem humoris in vaporem halituosum, vel per expectorationem eiusdem.

28. Salubre signum est si sputum primis diebus appareat, contra malū si nihil expuat (quod prognosticum Rondol. valere notat in inflammatione pleuræ internæ, non externæ, cum parū sanguinis in ea colligi possit, qui facilius fortibus, dissolvatur quàm sputo reijciatur) quas crudas & incoctas pleuritides vocat Galen. vel subito hominem interimentes, vel morbi longitudinem designantes. Sputum si cum facilitate ægri, h. e. leni tussi procedat, bonum est, contra si fiat cum vehementissima tussi & cum summa anhelitus difficultate, ita vt spurū quasi feruere & ebullire sentiat in pulmonibus pessimum signum est. Quoad colorem benè permixtum cum flavedine sputum laudabile est. Syncerum malum, deterrimum omnium autem est quod nigricat liuet aut foetet. Optimum verò sanguineum, inter quæ ambigunt biliosum & albicans. Sed hic animaduertendū ne catharrus in pulmonem delabens iudicium peruertat, & distinguendum inter nigrum sputum quod ex influxu sanguinis melancholici fit ab eo, & illud quod ex putredine & assatione humorum oritur, hoc enim omnium pessimum est & sputum alterius coloris subsequitur. Quoad consistentiam sputum sit moderatum in crassitie & tenuitate. Rotundum sputum humorē viscosum & rebellem arguit qui diu in materia detentus propter calorem nimium tenues partes absumentem in formam rotundam cogitur.

29. Interdum sed rarius pleuritis sanguinea commodè per narium hæmorrhagiam soluitur præsertim septimo die è directo lateris affecti & cum bona tolerantia ægri signis co-

tionis

tionis prægressis. Biliosa quoq; eodem modo nonnunquam soluitur, vel sudore, cuius exemplum habemus in Anaxione apud Hipp.

30. Iudicatur quoq; interdum per vrinam Gal. attestante & experientia approbante, sed per quas vias pleura se in partes vrinarias exoneret non ita conspicuum est. Galenus in pulmones pus assumptum per arteriam venalem in sinistram ventriculum cordis, hinc in magnam arteriam, & ex hac per emulgentes arterias in renes & tandem in vesicam per vretes expelli tradit. Quod quia absq; grauib; symptomatibus vix fieri posse verisimile videtur, recentiores hanc materiam pleuriticam ex vena sine pari, per ramum eius quem in latere sinistro venæ emulgenti coniungi ex diligenti inspectione anatomica animaduertunt, in renes deferri contendunt. Verum quia vena azygos octo costis inferioribus solum ramulos mittit, ad quatuor verò superiores non pertingit, non apparet quomodo per hanc viam inflammatio membranæ succin gentis 4. superiores costas solui possit, nisi horum venæ per anastomasi cōiungantur ramis venæ azygos. Verum vtut sit non multū de via excretionis laborandū putamus, modò con stet excretionē hanc commodè fieri posse, cum natura facilis sit in inueniendis vijs rationi & oculis nostris minimè obuijs.

31. Vrina bona in pleuritide non adfert certam spem salutis, mala verò maximi mali inditium est, quod significet malum membris naturalibus communicari.

32. Per aluum quoque pleuritidem interdum commodè solui præsertim si coctionis signa affulserint, & vires satis con stiterint, Gal. concedit & Valleriola duobus exemplis libr. 1. obser. 4 & 5 confirmat. Si vero in pleuritide cōfirmata nullis coctionis signis apparentibus diarrhæa superueniat pleurítico viribus exhausto malum est, signū enim est teste Galen. Epar in consensum abduci, vimq; retentricem ventriculi &

loup

B 3

intesti-

intestinorum collapsam esse, in quam sententiã accipi debet
aph. Hipp. 17. sect. 6. vbi inquit pleuritide & peripneumonia
detento alui profluuium superueniens malum.

33. Hipp. ait: dolores laterum quæ neq; sputi expurgatio-
ne, neq; alui deiectione, neq; sanguinis missione, nec victus ra-
tione sedari possunt suppuratione excitabunt, nisi aliud mor-
tiferum signum superueniet. Periculosa autẽ sunt suppura-
tiones præsertim quæ sputo adhuc bilioso fiunt. Quando au-
tem suppuratio fiat indicat aph. Hipp. 8. sect. 5. in quiens qui
pleuritide laborant nisi intra 14 dies supernè expurgentur, ijs
in Empyema fit mali transitio. Aretæus verò nõ 14. die, sed 20.
vult fieri transitũ pleuritidis in Empyema. Fuchsius & Mer-
curial. hos dies à primo die quo sputum apparere cœpit nu-
merandos censent, Holler. verò à primo die morbi. Nos pri-
orum sententiã subscribimus utpote magis experientiã con-
gruã, hisce præsertim regionibus frigidioribus & Aquilona-
ribus.

34. Per Empyema autem Hipp. teste Gal. in comm. intel-
ligit & conuersionem phlegmones in pus, & effusionem puris
in capacitatem thoracis. Primum fieri doloris & febris aug-
mentum indicant secundum aph. 47. f. 2. vt & superueniens
horror, linguæ squalor, paraphrenitis, maior difficultas anhe-
litus, tussis inanis & sicca. Facta suppuratione prædicta remit-
tunt symptomata, sed grauis dolor & fixus latus.prehendit.
Quod si nec tunc pus expuatur metus est ne in Empyema ve-
rum fiat transitio hoc est rupto abscessu pus intra thoracem
& pulmones effundatur, quod cum accidit tremor artus oc-
cupat, vires fatiscunt, anhelosi redduntur ægri, graue pon-
dus & fluctuationem in thorace sentientes. Post ruptionem
si non repurgentur Empyici intra 40. dies à die rupturæ,
phthisis sequitur aph. 15. f. 6.

35. A pleuritide peripneumonia malum aph. 11. sect. 7.
quod

quod fieri inde conicietur si cessante lateris dolore punctorio, febris, respirandi difficultas & tussis incrementum, & pathognomonica signa peripneumoniam appareant.

36. In curatione verae pleuritis quae per digestionem & expectorationem terminari potest. Medicus in id maxime incumbere debet, ut quod inflammationis iam in facto est, auferat, quod verò in fieri adhuc est impediatur. Primum completur euacuatione sanguinis in pleuram contenti insigni & sensibili, siue insensibili, vel particulari. Secundum praestat, auersio humoris influentis à loco affecto, & incrassatio eiusdem. Repellentibus enim hic locus non est. Periculum enim est ne ab ijs materia à circumferentia ad centrum, ab ignobiliore parte thoracis ad nobiliores pulmones sc. & cor, repellatur, ubique pulmoniam vel syncopen, aut subitam mortem introducat. Dolor quoque, aut aliud symptoma si nimium urgeat, ita ut causae rationem induat, leniendus & temperandus venit.

37. Pleuritis si ab externa causa excitata parua est, & tota in facto, citra vltiorem influxum & redundantiam humorum vitiosorum in reliquo corpore, praedictis intentionibus omnibus non opus est, sed sola euacuatio particularis materiae coniunctae per digestionem in halitum, sufficit, per adhibita fomenta calida, nec ad generosiora auxilia ascendendum. Miti enim affectui mitia & leuiora conueniunt remedia, & frustra adhibentur magna ubi leuioribus malum cedit. Vbi verò magna inflammatio adest, notis humorum vitiosorum, in corpore redundantium apparentibus, à fomentis abstinendum censemus, donec generaliora praesidia fuerint administrata, quae sumuntur ex fonte Chirurgico, pharmaceutico & diatetico.

38. In fonte Chirurgico primum se offert sectio venae, quae certè in pleuritide vera temerè omittenda, non est, modo

modò ea sit vehemens & cum humorum affluxu coniuncta. Nam per hanc non modò sanguis in parte affecta contentus euacuatur, sed & affluens & affluxurus reuulloriè & extra corpus educitur, febrilisq; calor & dolor, quæ duo insignem inflammationem sequuntur, egregiè sedatur & lenitur. Non igitur in pleuritide verâ duntaxat quæ iugulum petit, sed in illa quoq; quæ descendit ad hypochondria si prædicta adsint, tutò venam secamus. Licet enim non æquè citò materiam coniunctam in hac quam in illa tollat, tutius tamen adhibetur ad causæ antecedentis auersionem quàm purgatio, teste Gal. 2. de reg. acut. 11.

39. Citò autem, hoc est primis morbi diebus ad inflammationis augmentum inhibendum, vena secari debet. Si verò ijs diebus omissa fuerit, nihilominus in progressu mali, & causæ coniunctæ euacuatione modò vires permittunt, commodè exercetur, vt constat ex histor. Annaxionis, cui Hipp. die 8. primùm secuit venam.

40. De quantitate sanguinis mittendi consilium Hipp. est 4. de regim. acut. tex. 45. vt mittatur sanguis vsq; ad lipothymiam & coloris mutationem 2. de acut. victu t. 10. donec pro puro & rubicundo liuidus & niger egrediatur. Quod consilium Hipp. cum grano salis accipiendum est, & locum habet in dolore maximo existente, & viribus benè se habentibus. Quod si viribus metuimus, tutius erit sectionem partiri, sic n. viribus quarum maxima ratio hîc habenda est, consulimus & nihil ominis effectum assequimur.

41. Verùm an lateris affecti vel oppositi vena secanda sit, tanta est dissensio autorum, vt de hac re ingentia volumina conscripserint, aliquibus asserentibus tundendam esse venam brachij internam lateris sani; nonnullis verò affirmantibus venam brachij iecorariam lateris dolentis secandam esse; Nonnullis verò volentibus in quatuor costarum superiorum

orum inflammatione semper venam lateris dolentis aperien-
dam esse, in inflammatione verò octo inferiorum costarum,
siue ea dextri, siue sinistri lateris fuerit, semper venam dextri
brachij feriendam esse, propterea quod vena azygos ex late-
re venæ cauæ dextro ortum ducat. Quælibet harum opini-
onum varijs rationibus, autoritatibus, & experientiæ docu-
mentis à suis autoribus roboratur, quas hîc referre tædio-
sum esset.

42. Nos igitur breuitati studentes statuimus, consultius
esse ex vena interna brachij, quod ex directo lateri dolenti
respondet, sanguinem mittere. Autorem nostræ sententiæ ha-
bemus Galen. & Hipp. qui 4. de rat. vict. in acut. expressè ad-
dicit secandam esse venam qua parte dolor affligit, qui locus
teste Galen. in comment. est interpretatio textus 10 Hipp. in
libr. 2 de acut. vict. in quo simpliciter dixerat, venam inter-
nam cubiti secandam esse.

43. Experientia quoq; pro nobis facit, quæ demonstrat
ex communi practicantium vsu verissimum esse illud Galen.
l. de curan. rat. per san. mis. c. 15. vbi dicit: Pleuriticis quæ è di-
recto lateris laborantis adhibita fuit sanguinis missio, claris-
simam sæpè vtilitatem attulit, quæ verò in brachio opposito
aut omninò obscuram, aut certè post temporis interuallum.
Quod summo iure accidere putamus cum Gal. paulò post
affirmet, eam venam magis ac citius à parte affecta reuellere
& euacuare, quod maximè requiritur in pleuritide morbo a-
cuto (in quo occasio præceps & tarditas cum periculo con-
iuncta est) potissimùm cum sit partim in facto, partim in fieri-
& propterea tum reuulsionem, tum euacuationem subitò de-
sideret, quas cum coniunctim præstet secta vena lateris do-
lentis, meritò hanc præ altera eligimus. Hac enim secta non
solum sanguis in vena caua contentus reuellitur à parte affe-
cta, sed & is qui in inflammatione continetur aut propè in-
flamma-

flammationem est per ramulos illius venæ, quæ in utroq; latere ex axillari enascitur cum ramulis & venulis sine pari copulatos, euacuatur & deriuatur. Quin & illud Hippoc. καὶ ἰξίω & καὶ ἐνθὺ rectitudinem & societatem, quam partes dextræ ad dextras, sinistrae ad sinistras inuicem habent, hac ratione obseruamus.

44. Concludimus igitur in verâ pleuritide venam iecorariam brachij lateris dolentis maximo ægrorum commodo aperiri, præsertim, vbi die tertio vel quarto post mali exortum, vt plerumq; fieri solet, primum Medico accessus ad ægrotum datur, & non parum sanguinis iam in pleuram influxit. Si verò contingat, vt primo inuasionis die ægrotanti præstò simus, vbi paucum est id quod influxit, plurimum verò id quod influere possit, & dolor pungitius minor adhuc existit, non inconsultum arbitramur venæ sectionem ad talum, vel propè malleolum in latere dolente factam huic ad maiorem reuulsionem humorum à parte affecta præmittere, præsertim si ex hæmorrhoidib. & menstruis suppressis malum oriatur, aut mulier post partum non benè sit purgata.

45. Vbi vires, ætas, anni tempus, venæ sectionem non permittunt, cucurbitulas in initio lumbis affigimus scarificatas reuulsionis gratia, aut ipsi loco dolenti, euacuationibus vniuersalibus prægressis, euacuationis & deriuationis gratia, vtiliter adhibemus. Insensibilem quoq; reuulsionem, per cucurbitulas non scarificatas, frictions & vincula extremorum dolorifica molimur.

46. Quoad pharmaciam vsum purgantium in initio mali ad deductionem causæ antecedentis concedimus. Conferunt autem in hoc affectu non fortiter purgantia, sed blanda & benedicta vocata, quæ pectori sint amica, & magna stipticitate careant, qualia sunt Cassia, manna, syr. viol. ros. solutu. diaprun. simp. Elect. lenit. diacathol. quib. in decoctione conueni-

ueniente salutis aliquid Rhabar. agar. trochis. vel sen. pro di-
uersitate humoris dominantis tutò admiscere possumus. Ab
his enim ita præparatis nullum periculum inflammat. humo-
rum, sputi suppressionis aut diarrhææ superuenientis impen-
det, propter quod vsuj validorum purgantium in initio in-
terdicimus. Aquam benedictam Rulandi & Quercetani, cu-
ius mirandos effectus in pleuritide Chymici prædicant, su-
spectam habemus, cum ex Epate antimonij conficiatur, &
non solùm per vomitum sed & per secessum purget. Clysteres
quoq; non mediocriter profunt.

47. His præmissis in initio mali potissimum in sanguinea
& biliosa pleuritide, vbi fluxus adhuc viget, non inutiliter ex-
hibentur, quæ leniter incrassandò & in frigidando humorum
impetum sistunt, & materiam tenuem expuitioni aptiorem
reddunt, qualia sunt diatrachac. frig. diapen. sine speciebus. syr.
iuiub. viol. Præ alijs hunc in finem summoperè commenda-
tur à Rondel. plærifq; alijs Practicis syr. de papau. rub. syl-
uest. exhibitus cum aqua hordei vel decoct. iuiub. sem. frig.
maior. passul. ficuum &c. Inspissando enim fluxiones interci-
pit doloremq; sistit, quod multi à proprietate eius occultâ fi-
eri opinantur. Idem syr. vel eius puluis si cum aq. pimpinel.
farfaris aut card. ben. propinetur simul id quod influit, sistit,
quod verò influxit, digerit. Huic scopo accommodatissima
quoq; videtur aqua antipleuritica Quercetani, partim ex in-
crassantibus, partim ex digerentibus constans.

48. In pleuritide verò pituitosa incrassantibus addenda
quæ leuiter detergent. Validè enim incidentium & attenuan-
tium vsum in principio improbamus, ne maior influxus ad
partem affectam concitetur. Quo in casu syr. cap. ven. præ-
dict. admixtus & cum decoct. hord. integ. pass. & fic. exhibi-
tus summoperè confert. Ex iisdem Eclegmata & linctus huic
intentioni idonei parantur.

49. Cessante humorum influxu, quod plerumq; circa diem 4 fieri solet, incumbendum erit discussione materiae, quam quidam vsu aq. card. ben. & nitri præp. feliciter præstant, & expectorationi, exhibendo ea quæ abstergent, attenuant, pectus dilatant & explicant, hac distinctione adhibita, vt in sanguinea vel biliosa pleuritide minus calida & attenuantia, in pituitosa, & Melancholica calidiora præscribantur, quorum magna copia apud Autores extat. Vsitiora tamen hæc sunt, sach. can. viol. looch. de pass. syr. cap. ven. de hyss. Glycir. diaris Sal. diatragacanthum cal. syr. de præss. farf. oxym. simp. compos. scylit. quorum postrema in materia pituitosa, priora in biliosa & sanguinea expectoranda & discutienda magis conueniunt, si cum decoct. vel aquis appropriatis propinentur, vel in formam Eclegmatis redacta ex baculo glyc. lingantur.

50. Vbi valdè glutinosum est sputum & ægrè procedit, ita vt ægri quasi suffocari videantur. Scribon. Larg. seq med. summi secreti loco habet quod R. myrh. ʒ ij, croci ʒ j pip. gr. ʒ. mellis lib. i. data cochl. ʒ vel 6 tussim promouent, & ægri ex eius vsu facilè expuunt, quæ transitui spirituum obstant. Quo respicientes chymici miris laudibus in pleurit. extollunt flor. sulph. sublim. Sal Hyperic. & polypod. ol. ceræ in aq. Card. ben. aut Mar. exhibita.

51. Quæ à proprietate occulta huic affectui prodesse putantur hæc sunt, scobs den. ap. priap. taur. & ceru. flos papau. rhead. ter. figil. Card. ben. & Card. Mar. imprimis sem. cor. maxil. luc. piscis, ocul. can. cort. auellan. rub. & iusc. pauon.

52. Materia pleuritica ad vias vrinarias tendente, quidam præct. suadent exhibere ea quæ conatum naturæ dirigant & promoueant vt est decoct. 4. sem. fr. cap. ven. rad. aspar. gram. foenic. rusci, liquir. Cic. rub. &c. Quod si etiam contineret vt pus per alium excerneretur, Clysteres abstergentes & euacuantes vsui essent.

53. Extrinsicis fomenta cal. pectori adhibentur, tum ad pectoris dilatationem & faciliorem expectorationem, tum ad sanguinis in parte inflammata contenti, digestionem per halitum & doloris mitigationem. Variat autem horum materia & modus adhibendi pro diuersitate causae pleurit. & tempore morbi. Initio enim & in biliosa vel sanguinea pleuritide conuenientior est fons aquae cal. vel solius vel in qua radix alth. maluae, flor. camomel. melilot. aneth. sem. lini & foenu graeci coxerint admixtis oleis viol. Camomel. lil. & aneth. Induntur haec, vel vesicae bubulae aut suillae, vel excipiuntur spongia aut filtro linteo cooperto, & lateri dolenti applicantur. Quod si pituitosus sanguis peccet praedict. tussil. orig. hyssop. ol. Irin. &c. addi possunt, vel fomentum ex hord. Eruo & furfure in oxicato coctis & sacculo exceptis, componi potest.

54. Linimenta quoque in hunc finem ordinantur ex ol. amygd. dul. lil. aneth. Irin. mucag. sem. lin. fan. graeci, but. insulso, pingued. Gallin. anseris dialthaea &c. in quibus si omentum vituli, castrati vel suis calefactum lateri dolenti applicetur mirè conferre ad sedandos dolores pleurit. testatur Capeuaet. Quod si neque his dolor mitigetur, & vigiliae deliriumque adsint, Practici ad syr. papau. diacod. philon. vel laudanum Opiat. confugiunt.

55. Alui fluxus si superueniat & vires deiciat ventri necessario prospiciendum erit vntione ol. cidon. mastich. myrtil. ros. omphac. admixtis pulueribus conuenientibus.

56. His omnibus conueniens regimen 6 rer. non natur. adiungi debet. Teneantur igitur aegri in aere temperato, potius tamen ad calidum quam frigidum vergente, a motu corporis & animi perturbationib. ira potissimum sibi caueant. Somnus initio mediocris sit, longior in declinatione. Aluus si immemor officij sit clysterib. subducatur. Victus tenuis est

se debet, magis tamen aut minus tenuis, prout magis vel minus acuta pleuritis fuerit, & vires ægri tolerabunt. Ptisana igitur vel cremore ptisanæ hinc utimur, in qua pro diuersa intentione sem. mal. melon. cucurb. flor. viol. borrag. Glycir. adiant. hyssop. sem. an. foen. incoqui possunt.

57. Huius loco cremorem auenæ, lac. amygd. dul. cum aq. hord. paratum, prun. Vngar. mala dul. affata vel decoct. sach. can. vel thure conspersa, oua sorbilia, iuscula carniū vituli, gallinæ, intrita madida, colaticia iuscula, panes Martios dictos commodè substituere possumus.

58. Tempore exacerbationis & vigore instante cibus adimendus. Antequam sputum procedat tenuius sunt cibandi ægri, plenius ubi expuere incipiunt. Potus erit aqua hord. cui glycir. cap. ven. iuiub. & parum cinamom. incoxerit. Aquâ frig. suspectam habemus vt & vinum ante declinationem, nisi vires admodum langueant, ad quarū refectiōem vinum cum aqua viol. borra. vel card. ben. probè dilutum concedi potest.

59. Tantum de curatione pleuritidis quæ apta est solui per resolutionem, spuitionem vel resudationem. Verum si pleuritis ad suppurationem tendat, studendum erit maturatiōni, expectoratiōni vel rptioni abscessus, & post rupturam absterfioni & consolidatiōni, quæ intentiones quibus medijs perficiantur non est huius loci agere, cum de illis in curatione phtiseos & Empyematis abundè tractetur.



AD DN. RESPONDENTEM
amicum suum.



*Audere & Medici titulo & Medicum esse, laboris
Res est. crede mihi, qui sapis, eximij.*

*Nam nisi quem bonitas probè ad omnia rarior armet
Indolis, & virtute excitet ingenua,*

Et

*Et nisi cui Genius, nec fauerit utraq; Pallas,
Nè bene philosophâ incoxerit arte animum,
Et nisi quis logici se firmet acumine texti
Doctus contortis soluere dicta plicis,
Et qui non penitus scrutatur mente recessus
Natura, & quàm apè hac temperet orta, vides
Infelix medicis rebus se miscuit vltro;
Nec metam studij, quam sibi fixit, habet.
Verùm illa his iungens, medicoq; exercitus usu,
Ex imis artem qui petit unguiculis,
Hic sapit; & Coi senis exquisita reperta
Et dictatoris dogmata Pergamei,
Hic nouit seculo nostrate prioribus atas
Postera quæ melius post Arabes docuit.
Huic facile est verum falso secernere, morbos
Nosse, & quæ foneat prauia causa, malum.
Hic tanquam digitos scit, ut amolimina morbo
Ponat, seu interius, seu dolet exterius.
Euentura animo presago prouidet agris,
Siq; pote est, vitæ ruderata lapsa parat.
Nec solum Medica enucleat, metitur & astra;
Nam certum, haud frustra hæc signa micare polo.
Quantum onus ergò humeris Zimmermannæ incubet, ex his
Collige; nec constans fortè remitte animum.
Ecce! Ducem mutas animare Machaonis artes
Doctum, qui Coi tutor & vltor adest;
Hunc imitare, & viribus vttere, quas tibi Apollo
Quas & philosopho robore Musa dedit,
Oppugna, vitæ hæc inimicæq; sterne dolorum
Agmina; mox victrix hora tropæa feret.
Sic te non temerè tua Iulia sentiet usum
Tempore; sic patriæ sænora multa dabis.*

Iohannes Hufanus Thuringus, Med. Stud.



AD EVNDEM.



Vam multa praestet Pœoniae viris
Professor artis: summa necessitas,
Fatiq; leges, & ferocis
Suggerit impietas doloris.

Natura rerum multa tegat licet,
Et sacra libret pondere mystico
Non tuta: sed nisu perenni
Et vigili medici labore
Mansuescit vltro; nec sibi cognita,
Auditauè audit, pectore supplici
Miratur, & summè sagacem,
Nunc amat vt dominum & ministrum.
Testantur artis praesidium & decus,
Pleuræ tumores, & lateris dolor:
Natura succumbit ruitque,
Ni medici fuerint labores
Henrice spectas artis & ingenl,
Quid possit ardor: mystica vincere
Conaris, & pleuræ dolores,
Pœonio superare cultu.
Insiste cœptis fortiter, atq; opem
Felicis artis, rebus in arduis
Videbis: & doctum sequentur,
Et decus atque honor & triumphus.

Fridericus Wagnerus Sprottau. SiL.

F I N I S.